QVAESTIONES LITERARIAE,

EX

bonarum artium

HISTORIAE potiſſimum VNIVERSAE,
RHETORICES, POËTICES,
ANTIQVITATIS GRAECAE,
& ROMANAE,
item CRITICES
LATIFUNDIIS

SELECTAE,

&

In vſum colloquiis dialecticis certantium
viae & rationis quadam formula
digeſtae,

a

CHRISTOPH. SAXIO.

BIBLIOTECA NAZIONALE DI NAPOLI

TRAIECTI BATAUORUM,
apud IOANNEM VAN SCHOONHOVEN,

CIƆIƆCCLXVII.

Digitized by Google

Google

QUAESTIONES LITERARIAE

(I.) QUAESTIONES HISTORIAE VNIVERSAE

Suis, quantum fieri potuit, temporum notis, tacitis tamen, alligatae.

I.

Omnis ſapientia humana aut *Hiſtoria*, καθολικῶς ſumta, aut *Philoſophia*, aut ex vtraque mixto ſcientiae genere conſtat.

II.

Aliud vero eſt, eruditum, aliud, doctum eſſe hominem.

III.

Doctrina ſine eruditione, hoc eſt, literis, altero ſuo lumine deſtituitur.

IIII.

Artium bonarum velut Metropolis eſt Hiſtoria, cum *ciuilis*, tum *literaria*.

V.

Leges, quae in Dialecticorum paſſim libris de *veriſimilitudine*, ſive *fide hiſtorica* generatim ferri ſolent, ſingularium ſaepe cauſarum, teſtiumque iudicationem non magnopere adiuuant.

VI.

Multum ad fidem rerum aeſtimandam prodeſt, noſſe cuiuscunque populi mores, hoc eſt civitatis vitam publicam & privatam.

VII.

Quo ſenſu *Graeca* & *Romana antiquitas* rerum vtriuſque gentis dialectica nominari & haberi iure poſſit.

VIII.

Antiquitatis certe *diſciplina*, quoad priſcas gentes, eadem eſt, atque id, quod *Jus publicum* hodie vocamus intuitu recentium per Europam imperiorum.

VIIII.

Ideoque & dat Hiſtoriae, & ab eadem viciſſim accipit lucem.

X.

Hiſtoria ſine Critices ἀκριβείᾳ, hoc eſt, temporum, locorum, hominumque cauſis, item ſedula fontium indagatione & iudicio, nihili profecto eſt, & circulatoriae ſimilis fabellae.

XI.

Neque ſufficit, ſi credi nobis velimus, generatim nos anteſtari v. g. *Herodotum*, *Thucydidem*, *Xenophontem*, *Polybium*, *Livium*, alios, vt in flagranti olim lectionis ſtudio mos fuit, ſed annalium ſingulorum libri & loca accurate laudentur neceſſe eſt.

XII.

XII.

Neque perinde eſt, quoquo modo, loco, & gradu edantur teſtes. Alioquin imitaremur paſtores, nullo diſcrimine gregem e ſtabulis propellentes.

XIII.

In aetatis vero Scriptorum gradu evidens ſaepe quaedam velut menſura fidei ineſt.

XIIII.

Alia Scriptorum lectio eſt eloquentiae, alia eruditionis & doctrinae cauſa.

XV.

Hiſtoria vetus ſine interprete, multis literis erudito, vix addiſci poteſt, recentior tali ſaepe non indiget.

XVI.

Vtraque tamen cum alterutra *humanitatis*, hoc eſt, *Encyclopaediae*, cauſa neceſſario copulari debet.

XVII.

Vitio igitur creatus iudex eſt δοξόσοφος *Voltaerius*, qui contemta paſſim veteris aevi hiſtoria, maximam rerum geſtarum diſciplinam ad tempora *Carolo* V̄. Imperatore, *Leone* X̄ pontifice Romano & *Franciſco* I. Franciae rege poſteriora conferri maluit.

v. *Conſeilles à un Journaliſte ſur la Philoſophie, l'hiſtoire, le theatre, les Pieces de Poëſie, les Melanges de Literature* &c. p. 20. Tom. VI. *oper.* ejus *Amſtelod.* 1764. 12.

XVIII.

Hiſtoriae Catholicae via & ratio vulgaribus quatuor ſummorum imperiorum, quae *Monarchias* vocant, finibus male regitur.

XVIIII.

Fundus & crepido hiſtoriae eſt in apta & perpetua temporum ſerie, nec non in *Synchroniſmis*, hoc eſt, euentuum apud quaſcunque alias gentes memorabilium legitima colligatione.

XX.

Nemo veterum philoſophorum vniverſitatem rerum ex nihilo conditam eſſe docuit.

XXI.

Vtrum veris, an auctumni tempeſtate rerum vniverſitas coeperit, nec ſatis conſtat, nec, ſi demonſtrari poſſit, multum noſtra ſcire refert.

XXII.

Impia ſimul & vaniſſima eſt de *Praeadamitis* opinio *Peyreriana*.

XXIII.

Situm *Paradiſi* certa & indubitata ratione vix definiveris.

XXIIII.

Famam ſ. *traditionem* de *Sethitarum* columnis, cuius meminit *Joſephus* I. *Ant. Jud.* c. III. p. m. 8. A. B. ambiguae fidei plenam eſſe iudicaverim.

XXV.

Enochum libros ſcripſiſſe, & ad poſteros transmiſiſſe nemini perſuaſeris.

XXVI.

Literatura ante Noachicam vndarum eluvionem nihil incertius, nihil magis fabuloſum.

XXVII.

נְפִלִים apud *D. Moſen Geneſ.* VI. 4. non ſunt Gigantes.

XXVIII.

Neque putauerim, ſingularem Gigantum gentem fuiſſe.

XXVIIII.

Ante diluuium carne veſci non licuiſſe, vel κρεωφαγίαν incognitam fuiſſe temere creditur.

XXX.

Vti etiam hominibus, diluvio vetuſtioribus, vini ſationem & vſum non abiudicaverim.

XXXI.

Eluvio *Noachica* fuit communis omnium telluris regionum, non orbis duntaxat eo tempore habitabilis.

XXXII.

Turris a *Noachidis* duplici de cauſa, altera primaria, altera ſecundaria, exſtrui potuiſſe videtur, cum, vt ſignum conueniendi haberent, tum, famae & gloriationis ſtudio.

XXXIII.

Labil confuſio diſtinguenda eſt a dialectorum varietate, illa vno temporis momento & portento, haec ſenſim paulatimque & ſine portento euenit.

XXXIIII.

Ebraea dialectus non in ſola domo & gente *Eberi* fuit.

XXXV.

Babel ſ. *Babylon* haudquaquam a *Semiramide* ſenſu proprio condita fuit.

XXXVI.

Ciuitatis ineundae cauſa omnium veriſimillima fuit metus iniuriae.

XXXVII.

Aſſur fuit conditor vrbis *Niniues*, ſiue *Nini*, qui fortaſſis aeque *Belus* apud ſuos, atque *Chamus*, aut *Nimrodus* apud *Babylonios*, nominari meruit.

XXXVIII.

Neque tamen *Aſſurem*, *Nini* conditorem, *Semi* filium, ſed alium *Nimrodo* recentiorem fuiſſe exiſtimaverim.

XXXVIIII.

Vana ſunt, quae *Trogus Pompeius* apud *Juſtin.* I. c. I. & II. & *Diodor. Siculus* II. *Bibl.* a c. 1.—xx. p. 113. ſeq. de regni Aſſyriaci illorum temporum potentia, *Ninique* & *Semiramidis* opibus validiſſimis e *Cteſia* narrant.

XL.

(I.) HISTORIAE VNIVERSAE.

XL.

Abrahamus annos LXX. natus ex *Ur* Chaldaeorum *Charanem*, ſive *Carras*, veniſſe, ibique per V. annos manſiſſe videtur.

XLI.

Circumſecandi (τῆς περιτομῆς) quem vocant, ritum Aegyptios ab *Abrahamidis*, quam hos ab illis accepiſſe credibilius eſt.

XLII.

Salis ſtatua, in quam *Loti* vxor conuerſa eſſe dicitur, de quodam duntaxat ſtuporis rigore accipienda non eſt.

XLIII.

Quidni opinari liceat, lacum *Aſphaltitem* ſive *Mare Mortuum* in locum vrbium *Sodomae* & *Gomorrhae*, ultrici flamma divinitus deletarum, ſucceſſiſſe?

XLIIII.

Ἀνθρωποθυσίας, vel παιδοθυσίας, id eſt, hominum mactandorum origo & conſuetudo ab exemplo *Abrahami*, filium ſuum immolare divinitus iuſſi, nullo iure repeti poteſt.

XLV.

Sibyllina, quae hodie circumferuntur, *oracula* non ſunt vetuſtiſſimae illius, qualem mentiuntur, aetatis, ſed ſaeculi poſt Chriſtum natum II di.

XLVI.

Inachus, *Argivae* civitatis auctor, Moſe longe antiquior fuiſſe videtur, quamdiu, incertum.

XLVII.

Numeri comitum Jacobi in Aegyptum diſcrepantia apud D. *Moſem Geneſ.* XLVI. 27. & *D. Stephanum* in *Act. Apoſtol.* VII. 14. ἐναντιοφανὴς duntaxat eſt

XLVIII.

Terra *Goſen*, quae *Iſraëlitis* aſſignata eſſe dicitur, haud dubie fuit *Nomus*, ſ. *Praefectura Heracleopolitana*.

XLVIIII.

Per *Hycſos* ſ. *Paſtores* fragmenti *Manethoniani* apud *Joſeph.* l. *contr. Apion.* p.m. 1039.E.— 1040. E. Iſraëlitas intelligi oportere ne *Perizonianis* quidem rationibus clare cernitur.

L.

Per duriſſima opera, τὰ ἔργα, vt loquuntur interpretes Alexandrini *Exod.* I. 14. τὰ σκληρὰ τῷ πηλῷ καὶ τῇ πλινθείᾳ καὶ πάντα τὰ ἔργα τὰ ἐν πεδίοις, quibus Aegyptii *Iſraëlitas* vexarunt, quin conſtruendarum Pyramidum moleſtia ſubintelligi poſſit, vix dubitandum puto.

LI.

Jobus vel paulo ante *Moſen* vixiſſe, vel *Moſi* σύγχρονος fuiſſe videtur.

LII.

Iſraëlitas in Aegypto per annos duntaxat *ducentos* & *decem*, vel *quindecim*, habitaſſe nondum induci poſſum, vt credam.

LIII.

LIII.

Sic etiam valde dubito, an ſacri Codicis *Pharao*, qui *Iſraëlitas* regni ſui finibus exire paſſus erat, idem eſſe poſſit, qui *Seſoſtris* humanarum literarum.

LIIII.

Scabie & vitiligine omnes laboraſſe *Iſraëlitas*, quis probabiliter dixerit?

LV.

Iſraëlitarum per mare rubrum tranſitus DEI O. M. numine portentoquæ euenit, nec quicquam hic ſibi vindicant rerum naturalium cauſae.

LVI.

Per שַׂלְוִים *Exod.* XVI. 13. *Numer.* XI. 31. 32. *coturnices*, an *locuſtae* intelligi debeant incertum eſt.

LVII.

Mannam Iſraëliticam aliquid neceſſitudinis cum Manna vulgari, quam Graeci 'Αερόμελι vocant, habuiſſe negaverim.

LVIII.

Ex *Raphidimi* rupe in omnia loca, per quae iter faciebant *Iſraëlitae*, rivi dimanaſſe videntur, non vtribus & vaſis aqua collecta ſequebatur.

LVIIII.

Joh. Tolandus loco *Stabonis* XVI. *Geogr.* p. m. 1104. B. de ſterilitate Palaeſtinae peſſime abuſus eſt contra laudatam eius a *D. Moſe Exod.* III. 8. 17. & *Num.* XIII. 28. fertilitatem.

LX.

Bileamus primum verus DEI vates ſumi poteſt, mox ariolus nequam, & DEI contemtor euaſit.

LXI.

D. Moſen in conſcribenda Geneſi Commentariis Patriarcharum vſum eſſe, ſalva θεοπνευστίας veritate, dici poteſt.

LXII.

Ἕλληνες ab *Hellene*, *Deucalionis* filio, dicti non ſuerunt.

LXIII.

Neque *Attici* olim *Jönum* nomen habuerunt ab *Jöne*, *Xuthi* filio, ſed a *Javane*, qui Ebraeis יון.

LXIIII.

Aborigines & *Oenotrii* iidem mihi, nec diverſi Italiae vetuſtae populi fuiſſe videntur.

LXV.

Buſiridem, Aegypti regem, hoſpites reapſe Diis immolaſſe, (vt *Euſebius* in *Chron. Canone* p. 113. ad *Joſuae* principatum adnotauit, τοὺς παροδεύοντας, inquiens, κατέθυε ξένους,) vix credibile videtur.

LXVI.

Neque *Buſiridem* illi accommodaverim *Pharaoni*, qui truculentum de *Iſraëlitarum* pueris occidendis edictum promulgaverat.

LXVII.

Europa ab *Europa*, *Agenoris* filia, dicta non fuit.

LXVIII.

LXVIII.

Bellum civile *Beniaminiticum* cum ceteris Ebraeis non vltimis *Judicum* temporibus, ſed ante primam ſervitutem Iſraëliticam & conflatum & profligatum eſt.

LXVIIII.

Graeci iam ante *Cadmum* literas habuiſſe videntur.

LXX.

Herculis Thebani res geſtae non omnes ſunt in fabulis.

LXXI.

Neque omnis *Amazonum* hiſtoria mihi ficta eſſe videtur.

LXXII.

Iudicum Iſraëliticorum annos cave ſucceſſionis quadam lege numeres.

LXXIII.

Jephtham immolaſſe filiam ſuam ex voti verbis, & narrationis cohaerentia, meo quidem iudicio, apparere videtur.

LXXIIII.

Valde lubrica & nominis & ſuperſtitum fragmentorum *Sanchuniathonis* fides eſt.

LXXV.

Everſi per *Graecos Troianorum* imperii, dirutaeque vrbis *Troiae* fides male ſollicitatur.

LXXVI.

LXXVI.

Aeneas, vir Troianorum princeps, in Italiam omnino veniſſe, eoque coloniam duxiſſe videtur.

LXXVII.

Virgilius, *Aeneae* & *Didonis* aetatem non craſſa quadam temporum ignoratione, ſed ex vtilitate cauſae ſuae miſcuit.

LXXVIII.

Etruſci non tam *Lydorum*, quam *Phoenicum* forte propago fuerunt.

LXXVIIII.

Samſonis hiſtoria Graecis opportunitatem de *Hercule*, aliisque heroibus ſimilia fingendi dediſſe videtur.

LXXX.

D. Samuel 1 Sam. VIII. 8. ſeq. veram *iuris & legis regiae* formulam haudquaquam deſcripſit.

LXXXI.

Species ſimulacri *Samuelis*, *Saulo* regi oblata, mera fuit impoſtura γυναικὸς ἐγγαστριμύθου.

LXXXII.

Priſci Atticorum reges a *Cecrope* vſque ad *Codrum* minime fuerunt ἀνυπεύθυνοι.

LXXXIII.

Minimis difficultatibus premitur illorum ſententia, qui *Ophir Salomonis* in *aureae Cherſoneſi* peninſula, hodie *Malaca*, quaerunt.

LXXXI.

LXXXIIII.

Homerus Heſiodo antiquior fuiſſe videtur.

LXXXV.

Cultus vitulorum a *Jeroboamo*, decem tribuum rege, inductus, mere fuit politicus.

LXXXVI.

Terribile idolum, cuius meminit divinus auctor II. *Paral.* XV. 16. non *Priapus* fuiſſe videtur.

LXXXVII.

Repugnantia locorum II. *Reg.* XXII. 50. & II. *Chron.* XX. 35. 36. ſanari non poteſt niſi, וְלֹא libri *Regum* leviſſima mutatione convertendo in וְלוֹ

LXXXVIII.

Beelzebub II. *Reg.* I. 3. & paſſim alibi, *Jovem Muſcarium* retuliſſe videtur.

LXXXVIIII.

Per *ſtercus columbinum* II. *Reg.* VI. 23. intelligi poteſt *ciceris toſti* genus.

XC.

Ad diſcordiam numeri annorum *Achaſiae*, regis Hieroſolymitani, tollendam, quae extat II. *Reg.* VIII. 26. collato cum II. *Chron.* XXII. 2. nullum potentius novi remedium, niſi in antiqvariorum manu, poſteriorem *Chronicorum* locum oſcitanter deſcribente.

XCI.

Zacharias, *Joiadae* filius, II. *Chron.* XXIV. 20. idem eſſe videtur, atque *Zacharias*, *Barachiae* filius, apud *D. Matthaeum Euang.* XXIII. 35.

XCII.

XCII.

Non pugnare inter ſe videntur, qui *Lycurgum*, Spartanarum legum ſcriptorem, vel C̄ annis ante *Olympiadem primam*, vel circa *Olympiadem primam* vixiſſe tradunt.

XCIII.

Diu poſt reſtitutam ludorum Olympicorum ſolennitatem Scriptores demum Olympiadibus ad metienda rerum tempora vſi ſunt.

XCIIII.

Quae de *Sardanapali* moribus, euerſoque tum imperio Aſſyriaco narrantur vulgo, aut parum veriſimilitudinis habent, aut aperte falſa ſunt.

XCV.

Fortaſſis *Sardanapalus* idem, qui *Chyniladanus*, vel *Saracus* in *Alexandri Polyhiſtoris* fragmento, apud *Euſebium* in *Chronic. Graec.* p. 46. quo principe & Medorum rex *Cyaxares I.* caput extulit, & *Nabopolaſſarus*, Babyloniorum praefectus, ab Aſſyriis deficiens, ſingulare Babyloniorum regnum inſtituit.

XCVI.

Diſcordes veterum ſententiae de anno *Romae conditae* utcunque coaleſcere poſſunt.

XCVII.

Nec origines Romanorum adeo humiles & fabuloſae, nec proxima originibus tam nebuloſa & incerta eſſe videntur, atque vulgus hodie exiſtimat.

XCVIII.

Digitized by Google

XCVIII.

Ezechiae ſ. *Hiskiae*, Hieroſolymitani regis, morbus *Sanacheribico* bello & clade recentior fuiſſe videtur.

XCVIIII.

Carchemiſium divini Scriptoris II. *Chron.* XXXV. 20. idem eſt, atque *Cercuſium Meſopotamiae.*

C.

Librorum Sibyllinorum emtio, ſi diis placet, non a *Tarquinio Priſco*, ſed *Superbo Tarquinio* rege facta eſſe dicitur.

CI.

Numerus annorum vitae *Jehoiacini* ſ. *Jechoniae*, II. *Chron.* XXXVI. 9. vereor, ne librariorum vitio corruptus ſit.

CII.

Qui *ſeptem* vulgo numerantur *Sapientes* non tam de ſchola quidam philoſophi, quam civilis prudentiae magiſtri, & civitatum rectores fuerunt.

CIII.

Croeſum, Lydiae regem, a *Cyro* pyrae imponi iuſſum, vt cremaretur, poſt inclamatum vero bis terve *Solonis* nomen liberatum eſſe, temere creditur.

CIIII.

Aſſuerus ſive *Ahaſuerus* libri *Eſtherae*, idemque *Darius Medus D. Danielis*, alius eſſe non poteſt, niſi *Xenophontis Cyaxares II. Aſtyagis* filius, *Mandanes* frater, adeoque avunculus, & poſtea ſocer *Cyri.*

CV.

CV.

Neque *Belſaſaris*, Babyloniorum regis, apud D. *Danielem* nomen in ullum alium cadere poteſt aptius, quam in *Nabonnedum*, ſive *Nabonadium* annalium humanorum.

CVI.

De *Cyri* natalibus & mortis genere lubentius *Xenophonti*, quam aliis omnibus crediderim.

CVII.

Iſaac. Newtonus in contrahendo annorum, per quos regnatum fuit Romae, numero fruſtra argutatus eſt.

CVIII.

Primi Conſules Romani a *Lucretio*, praefecto urbi, creati non fuerunt.

CVIIII.

In definienda *Pythagorae* aetate, praeſertim quoad habitationem eius in *magna Graecia*, veriſimiliores mihi temporum menſores Latini, quam Graeci eſſe videntur.

CX.

M. Iunius Brutus in filios ſuos, coniurationis reos, non tam patriae poteſtatis, quam imperii Conſularis iure animadvertit.

CXI.

Ius Papirianum, cuius mentio apud Epitomatorem *Pomponii*, l. 2. §. 2. *π.* de O. I. non tam civilium, quam ſacrarum fuit legum Sylloge.

CXII.

CXII.

Harmodius & *Ariſtogiton* non tam civitati Atticae libertatem proprie redonarunt, quam *Hippiam* tyrannum exacerbarunt.*

CXIII.

Verba foederis, quod expulſis regibus populo Romano *Porſena* dediſſe fertur apud *Plin.* XXXIV. *Hiſt. Nat.* 14. *ne ferro, niſi in agricultura, vterentur*, valde lubricam habent ſervitutis Romanae ſignificationem.

CXIIII.

Cliſthenes maiori ſpecie veri auctor *Oſtracismi*, quam vllus alius ciuitatis Atticae vir princeps haberi poteſt.

CXV.

Vltra trecentos *Fabios*, omnes patricios, ad *Cremeram* fluvium occidione occiſos eſſe incredibile videtur.

CXVI.

Male *Juvenalis* Sat. X. 174. Graeciam ideo *mendacem* appellavit, quod ſcriptores eius tradiderunt, *Xerxem Helleſpontum* ponte iunxiſſe, & montem *Atho* perfodiſſe.

CXVII.

Themiſtoclis Epiſtolae recentioris Grammatici eſſe videntur.

CXVIII.

Nuncius victoriae *Plataeenſis*, qui eodem die ad claſſem Graecorum, ſub monte *Mycale* ſtantem, veniſſe dicitur, vel merum fuit *Leotychidis* ſtrategema, vel fortuita praeſenſio.

CXVIIII.

Byzantium a *Pauſania*, Spartano, potius inſtauratum, quam conditum eſſe videtur.

CXX.

Charondas non fuit *Thuriorum* legiſlator.

CXXI.

Ad leges Graeciae conquirendas non decem, vt Epitomator *Pomponii* vult, l. 2. §. 4. ff. *de or. Iur.* ſed tres miſſi fuerunt legati.

CXXII.

Sectio debitoris ex lege XII. Tabularum non proprie, ſed improprio accipi debet ſenſu.

CXXIII.

Judaeorum de Synedrio, vel Synagoga Magna Eſdrae temporibus conſcripta, prorſus nugax & cerebrina eſt fama.

CXXIIII.

Libros ſacros tempore exilii Babylonici interiiſſe, & a D. *Eſdra* memoriter reſtitutos eſſe, credat Iudaeus Apella.

CXXV.

(I.) HISTORIAE VNIVERSAE.

CXXV.

Iudicium *Ciceronis* de *Herodoto*, I. *de LL.* 1. apud *Herodotum*, inquientis, *patrem hiſtoriae ſunt innumerabiles fabulae*, eius Scriptoris fidei & auctoritati vix quicquam derogat.

CXXVI.

Teterrimi παιδεραστίας flagitii *Socrates* falſo inſimulabatur.

CXXVII.

Cyropaedia *Xenophontis* non tantum ad effigiem iuſti imperii, ſed ad hiſtoriae quoque fidem ſcripta eſt, v. *Cic.* I. ad *Q. Fratrem Epiſt.* I. c. 8.

CXXVIII.

Haud proclive eſt interdum e Dialogis *Platonis*, quid *Socrates*, ipſeque *Plato* ſenſerit, ſtatuere.

CXXVIIII.

Venia detur *Platoni*, e ſua, quam finxit, civitate poëtas educenti.

CXXX.

Annales Pontificum Romanorum *maximi*, aliaeque vetuſtiſſimorum temporum literae incenſa a Gallis Senonibus vrbe haudquaquam interiiſſe videntur.

CXXXI.

Dionyſium minorem ex *Syracuſanorum* tyranno, quae mirabilis erat fortunae viciſſitudo, *Corinthi* factum eſſe ludi magiſtrum temere negatur.

CXXXII.

Commemoratio *Joſephi*, XI. *Ant. Jud.* c. VIII. p. m. 385. ſ. de *Alexandro* M. Hieroſolymis propter obviam ſibi cum inſula factum Pontificem *Jadduam*, ſimilemque ante ſpeciem ſomno ſibi oblatam, parcente, nihil a vero alieni, aut abſurdi habere videtur.

CXXXIII.

Vulgari de LXX. interpretibus *Alexandrinis* narrationi nemo fidem habeat.

CXXXIIII.

Demetrius Phalereus Ptolemaeo Philadelpho haudquaquam videtur a bibliotheca fuiſſe.

CXXXV.

Aureolus περὶ τῆς ἑρμηνείας libellus non *Demetrii* illius *Phalerei*, ſed recentioris cuiusdam *Demetrii*, ſive Grammatici, ſive Rhetoris, fuiſſe videtur.

CXXXVI.

M. Atilii Reguli ad Poenos reditum, tragicamque eius mortem cum *Jac. Palmerio*, (*Exercitat.* ad *Auctor. Graecos* p. 147. 151. ſeq.) & aliis, vanitatis arguere minime auſim.

CXXXVII.

Annibalem, cum Alpes tranſiret, ardentes incendio rupes infuſo aceto putrefeciſſe nondum induci poſſum, vt credam.

CXXXVIII.

CXXXVIII.

Archimedem claſſem Romanam, prope Syracuſas in anchoris ſtantem, cauſticis ſpeculis, de muro ſuſpenſis, & incendere potuiſſe, & incendiſſe, haudquaquam negare auſim.

CXXXVIIII.

Horatii iudicium de *Plauto* (*Art. Poët.* 270-274.) eius fabularum praeſtantiae nihil derogat.

CXL.

P. Scipioni Africano maiori cognomen *Magni* fuiſſe inditum, contra *Spanhemium*, Diſſ. X. de *V.* & *P. N.* p. 67. ſ. defendo.

CXLI.

Perſeus, Macedoniae rex, poſt triumphum in carcerem *Albanum* non videtur detruſus eſſe.

CXLII.

Judithae & *Tobiae* libri merito in Apocryphis Vet. Teſtamenti habentur, ille *tragicum*, hic *comicum* Drama.

CXLIII.

Aes Corinthiacum a permiſtis incendio *Mummiano* ſignis & ſtatuis, aeriſque auri, & argenti venis in commune fluentibus ſecundum *Florum* II. XVI. 7. originem, & nobilitatis ſuae laudem minime traxit.

CXLIIII.

Male a *Petavio*, & aliis, inter *Alexandrum* II. Aegypti regem, a *Sulla* datum, & *Ptolemaeum Nothum*, cognomine *Auleten*, *Ptolemaeus Alexander* III. cognomine *Philadelphus*, interpolatur.

CXLV.

Cicero fuit homo iuris publici, privatique Romanorum conſultiſſimus, adverſus eos, qui hanç illi ſcientiam abiudicant.

CXLVI.

Qui *Aſiaticam* dicendi formam, ſive, vt vulgus loquitur, *Stilum Aſiaticum Ciceroni* proprium eſſe contendunt, ſatis, quid dicant, ſe neſcire demonſtrant.

CXLVII.

Portus Iccius idem, qui poſtea *Geſoriacum*, & recentioribus temporibus *Bononia*.

CXLVIII.

Abſque contumelia dici poteſt, *Iulium Caeſarem* tyrannum fuiſſe.

CXLVIIII.

Erroris convinci poſſunt & Scriptores, & artifices recentiores, qui aſpidem mammae *Cleopatrae* morientis affingunt.

CL.

CL.

Octavianus Auguſtus minime clementis, ſed callidi, temporibusque mire inſervientis ingenii fuit.

CLI.

Vana eſt legis regiae formula, qua populus principi, & in principem omne ſuum imperium, & poteſtatem contuliſſe dicitur ſecundum *Vlpian.* l. 1. *princ.* ff. de *Conſtitut. Principum*, & *Iuſtinian. Imperat.* §. 6. *Inſtitut.* de *Iure Natural. Gent. & Civil.*

CLII.

Vana eſt omnis hodie de vero ſenſu *Patavinitatis Livianae* diſputatio.

CLIII.

Nimii ſunt, qui *Livium* vel ſuperſtitionis, vel religionum contemtus reum agunt.

CLIIII.

Dies XXV.tus Decembris verus & legitimus CHRISTI Θεανθρώπου natalis eſſe non videtur.

CLV.

Nec aera *Dionyſiana* Χριστογονίας, quam vtcunque ſequimur, antiquitatis veritati reſpondet.

CLVI.

Omnium veriſimillima, ſuperandisque difficultatibus maxime idonea eſt *Perizoniana* loci *D. Lucae* II. 2. interpretatio.

CLVII.

Oracula *CHRISTO* in lucem edito non extemplo obmutuerunt.

CLVIII.

Nec Iani templum *CHRISTI* natalibus clauſum Romae fuit.

CLVIIII.

Auguſtus a *Livia* veneno ſublatus eſſe videtur.

CLX.

Mutuae *Abgari*, Edeſſenorum reguli, & CHRISTI domini noſtri, literae apud *Euſeb.* h *Hiſt. Eccl.* 13. antiquitatis συγχρόνου fidem mentiuntur.

CLXI.

Recte *Pontius Pilatus Joſepho* mox τῆς Ἰουδαίας Ἡγεμὼν, XVIII. *Ant. Jud.* c. IV. p. m. 621. B. mox ἐπίτροπος, II. *Bell. Judaic.* c. VIII. p. m. 789. C. dicitur.

CLXII.

Non pugnant inter ſe D. *Matthaeus*, XXVII. 5. & D. *Lucas*, in *Act. Apoſt.* I. 18. ſuper morte *Judae.*

CLXIII.

Gallum gallinaceum, qui cecinit Hieroſolymis, *Petro* magiſtrum ſuum eierante, in buccinam, galli ſimulacrum referentem, horamque indicantem, commutare non eſt opus.

CLXIIII.

CLXIIII.

Recte, & ex ſenſu temporum illorum Judaei reſpondebant Pilato apud D. *Iohannem* XVIII. 31, Ἡμῖν οὐκ ἔξεστιν ἀποκτεῖναι οὐδένα.

CLXV.

An crucis poena apud Judaeos in vſu fuerit, valde dubium eſt.

CLXVI.

Quae de relatione *Tiberii* Imperatoris ad Senatum ſuper CHRISTI, Domini noſtri, Apotheoſi decernenda *Tertullian.* in *Apol.* V. *Oroſius* VII. 4. & alii ſcribunt, ambiguae videntur eſſe fidei.

CLXVII.

Per *Chreſtum Suetonii* in *Claudio* 25. minime intelligi debet Dominus & Conſervator noſter JESVS CHRISTVS.

CLXVIII.

Perhonorifica CHRISTI commemoratio apud *Joſeph.* XVIII. *Ant. Jud.* c. IV. p. 621. G. & 622. A. obvia, an tota ſit a manu & ſtilo *Joſephi*, vehementer dubito.

CLXVIIII.

Phaedri, quales ſuperſunt, Apologi aeuo Auguſteo digniſſimi ſunt, adeoque mirabilis eorum opinio, qui *Nic. Perottum*, vel alium hominem eruditum, renaſcentium in Italia literarum temporibus aequalem, illorum auctorem faciunt.

CLXX.

Recte & ſubtiliter *Tiberius* Imperator iudicauit leges ſumtuarias vtilitatis & fructus eſſe inaniſſimas.

CLXXI.

Claudius Imperator omnino lacum *Fucinum* ſiccavit.

CLXXII.

In morte *Herodis Agrippae* I. deſcribenda D. *Lucas*, *Act. Apoſtol.* XII. 23. & *Joſeph.* XIX. *Ant. Jud.* p. 679. B——D. non pugnare videntur.

CLXXIII.

Agrippa minor ſive II. non fuit rex proprio nomine, quantumvis ſaepe cum in ſacris paſſim literis, tum ap. *Joſephum* βασιλεὺς nuncupetur.

CLXXIIII.

Petronius in *Satirico* ſuo non vitia *Neronis*, ſed *Claudii* fatuitatem ſale perfricuiſſe videtur.

CLXXV.

Primum *Neronis* quinquennium male vulgo pro exemplari boni principatus accipitur.

CLXXVI.

Inſula, D. *Pauli* naufragio memorabilis, non *Melite* ad auſtrum *Siciliae*, hodie *Malta*; ſed alia ſinus *Adriatici Melite*, hodie *Meleda*, eſſe videtur.

CLXXVII.

CLXXVII.

Simonem Magum nec in Chriſtianorum ſeditioſis civibus, quos haereticos vocant, habuerim, nec per aëra volaſſe exiſtimaverim, nec ad eum pertinuiſſe corruptum lapidis titulum SIMONI DEO SANCTO putaverim.

CLXXVIII.

D. *Petrus* omnino Romam venit, ibique cum D. *Paulo* capitis ſupplicio affectus eſt.

CLXXVIIII.

Vexatio Chriſtianorum *Neroniana* moenibus vrbis Romae non coërcita fuiſſe videtur.

CLXXX.

Dictio Noui Teſtamenti eſt Ebraeo-Macedonica.

CLXXXI.

Conſtitutiones Apoſtolicae *Clementem* Romanum non habent auctorem.

CLXXXII.

Lucani de bello Pharſalico carmen minime eſt Epicum.

CLXXXIII.

Q. Curtium Rufum Veſpaſiani potius, quam vel *Tiberii*, vel *Traiani* temporibus ſcripſiſſe crediderim.

CLXXXIIII.

CLXXXIIII.

Iuuenalis non *Adriano*, ſed *Domitiano*, *Nerua*que principibus ſcripſit.

CLXXXV.

Flauia Domitilla, *Domitillae*, ſororis *Domitiani*, filia, *Flauii Clementis* vxor fuit.

CLXXXVI.

D. *Iohannem* in vas aheneum, feruente oleo plenum, fuiſſe demerſum, indeque incolumem euaſiſſe, idonea non ſubeſt cauſa, cur negemus.

CLXXXVII.

Dialogus *de cauſis corruptae eloquentiae* maiori ſpecie veri *Quinctiliano*, quam *Tacito* vindicari poteſt.

CLXXXVIII.

Male vulgo *decem* Chriſtianorum vexationes, nec plures, nec pauciores, recenſentur.

CLXXXVIIII.

In regundis Martyrum numeri finibus vterque & *Henr. Dodwellus*, & *Theod. Ruinardus* peccare videtur, ille minuendo, hic nimis amplificando.

CXC.

Septem *Ignatii* breuiores Epiſtolae antiquitatis legitimae eſſe videntur.

CXCI.

CXCI.

Martyrii *Polycarpi* annus incertus eſt.

CXCII.

Quae in vulgaribus *Juſtini Martyris* editionibus Apologia II. dicitur, ea prima nominari, & haberi debet.

CXCIII.

L. Verus cum fratre *Marco* non per XI ſed per IX annos imperium communiter adminiſtrauit.

CXCIIII.

M. Aurelio Imperatore ſingularem fuiſſe legionem ex meris lectam & conſcriptam Chriſtianis, in cuius gratiam pluviam coelo miſſam, in hoſtes vero grandines & fulmina praecipitata eſſe ferunt, indeque *Fulminatricis* ſ. Κεραυνοβόλα nomen accepiſſe, nego.

CXCV.

Montanus magis fanaticus homo, quam ſeditioſus Chriſtianorum civis fuit, neque *Montaniſtae* proprie in haereticis ſunt habendi.

CXCVI.

Non ſatis credibile videtur, *Pertinacem* a *D. Iuliano* occiſum eſſe.

CXCVII.

Didius Julianus, Imperator, male confunditur cum eius proavo, vel potius avo, *Salvio Juliano*, Edicti perpetui architecto, ap. *Victor*. de *Caeſar*. XIX. 2.

CXCVIII.

CXCVIII.

Neque idem videtur iuris peritus fuiſſe.

CXCVIIII.

L. Septimii Severi propugnaculorum bracchia in Britannis adverſus *Caledonios* cum nonnullis Scriptoribus potius veri nominis murum de ſaxo quadrato ſtructum, quam vallum, maſculino genere, hoc eſt, murum ceſpititium appellaverim.

CC.

Non idem eſt *Tertullianus* Theologus, qui ICtus eius nominis.

CCI.

ICtis vero *M. Minucium Felicem* accenſere licet.

CCII.

Julia Domna non *Getae* duntaxat, ſed *Antonini* quoque *Caracalli* fuit mater.

CCIII.

Vti *Plautiani* & *Plautillae* nomina e quibusdam monumentis iuſſu forte *Caracalli* eraſa eſſe nemo inficiabitur, ita in arcu triumphali *Severi* lecta & deleta eſſe, quis cum *Reineſio*, & *Fontanino* iure ſuſpicetur?

CCIIII.

Alemanni originationis ſuae poteſtate nulli alii eſſe videntur, niſi homines miſcellanei, *Allerley Männer.*

CCV.

CCV.

Per *Sanctum nomen*, quod *in penetrale Dei* ſui tranſtuliſſe dicitur *Elagabalus*, apud *Lamprid.* in *Elagabalo*, 6. fortaſſis *Attys*, Cybeles amicus, intelligendus eſt.

CCVI.

Domitius ille apud *Lactant.* V. *Inſtit. Divin.* XI. 19. qui *Libro ſeptimo de officio Proconſulis* Reſcripta principum adverſus Chriſtianos collegiſſe dicitur, idem eſſe videtur, qui *Domitius Vlpianus*, praefectus praetorio, ſub *Alexandro Severo.*

CCVII.

Alexander Severus Imperator de Gnoſticorum ſchola ſemi-Chriſtianus fuit.

CCVIII.

Non quatuor ſed tres duntaxat *Gordiani* extiterunt.

CCVIIII.

Vix credibile eſt, *Philippos*, patrem, & filium, Auguſtos, Chriſto nomen dediſſe.

CCX.

Nondum ſatis conſtat, vtrum *C. Valens Hoſtilianus Decii* & *Etruſcillae* filius, an gener fuerit, aut alio pacto *Decii* gentem attigerit.

CCXI.

CCXI.

Pagii argumenta in *Crit. Baron.* ad a. Chr. 252. XVIII. quibus vir acute doctus vexationem Chriſtianam ſub *Gallo* & *Voluſiano* principibus Romae duntaxat vrbis moenibus coërcet, omni exceptione maiora eſſe negaverim.

CCXII.

Sexti Enchiridion male *Sixto* ſ. *Xyſto* II. Epiſcopo Romano, tribuitur.

CCXIII.

Gallienum, principem, tali prorſus ingenio, quali vulgo a *Trebellio Pollione*, & aliis, deſcribitur, hoc eſt, tam ignauum, mollem, & deſidem fuiſſe negaverim.

CCXIIII.

Numum aureum regis Francici cum titulo: GALLIENAE AVGVSTAE ad *Gallieni* Imperatoris irriſionem & contumeliam haudquaquam pertinere exiſtimaverim.

CCXV.

Qui vulgo numerantur XXX. tyranni, ſub *Gallieni* principatu exorti, neque tot fuerunt numero, neque in cenſum Anti-Caeſarum omnes venire debebant.

CCXVI.

Aureolus, Illyrici tyrannus, non diverſus fuiſſe videtur ab *Aureolo*, Mediolanenſi, qui opportunitatem *Gallieni* opprimendi dederat.

CCXVII.

CCXVII.

Duo *Aureliani* pater & filius non in numo, ſed in cerebro *Ballonffeauſii*, & *Harduini* fundum habent.

CCXVIII.

Franci olim per Tranſiſalanae, Bremenſis, Monaſterienſisque regionis tractus ſedem ante habuerunt, quam in Galliam ſe effunderent.

CCXVIIII.

Nondum video, quomodo *Tacitus*, Imperator, genus ſuum ad *Tacitum* Hiſtoricum, vt ſcribitur vulgo, referre potuerit.

CCXX.

Claudius Mamertinus, *Eumenius*, & alii, quos vulgo appellant, *Panegyrici minores*, haud incerti ſaepe auctores ſunt ad inſtaurandam rerum illo tempore geſtarum memoriam.

CCXXI.

Legionis *Thebaeae* Martyrium iure meritoque in dubium vocatur.

CCXXII.

Helena, *Conſtantini* M. mater, humili quidem loco & conditione, honeſta tamen matrona, & *Conſtantii Chlori* vxor fuit.

CCXXIII.

Conſtantinus M. non in Britannia, ſed *Naiſſi* in Dacia natus eſt.

CCXXIIII.

Crucis, vel Monogrammatis Chriſti ſignum cum titulo: ΤΟΥΤΩΙ ΝΙΚΑ, quod *Conſtantinus M.* in coelo ſe vidiſſe iurauit, verum fuerit, an φαινόμενον ſolare, nondum perſpicuum eſt.

CCXXV.

Conſtantinus M. a *Silveſtro*, Epiſcopo Romano, baptizatus non eſt.

CCXXVI.

Neque credibile eſt, eumdem *Conſtantinum* ſolis rationibus politicis motum ad Chriſti ſacra animum applicuiſſe.

CCXXVII.

Qualis vero, aut quam intelligens doctrinarum ante baptiſmum, qui fatali demum eius anno contigit, Chriſtianus fuerit Conſtantinus Imp. definire non auſim.

CCXXVIII.

Conſtantinus M. *Criſpum* filium ſuum praeter ius faſque interemit.

CCXXVIIII.

Conſtantinus M. Imperator *Pontificis M.* ius & titulum prudenti conſilio retinuit: *Gratianus* contra temere repudiauit.

CCXXX.

CCXXX.

In naeuis politicis *Conſtantini* M. rectiſſime *Zoſimus* II. *Hiſt. Nov.* 34. etiam hunc retulit, quod is Rhenum praeſidiis nudaverat.

CCXXXI.

Fruſtra *Euagrius* III. *Hiſt. Eccl.* 40. 41. in *Zoſimum*, intolerabile *Chryſargyri* vectigal ad *Conſtantinum* M. auctorem, II. *Hiſt. Nov.* 38. referentem, debacchatur.

CCXXXII.

Crucem, ex qua pependit conſervator noſter Jeſus Chriſtus, Hieroſolymis reperiſſe *Helenam*, ſuaue commentum eſt.

CCXXXIII.

Athanaſius, Epiſcopus Alexandrinus, ab *Euſebianis* in Synodo Antiochena damnatus, non tam *Julii*, Epiſcopi Romani, iuſſu & auctoritate Romam evocatus fuit, quam ſua ſponte *Gregorio*, Epiſcopatum invadente, eo aufugit.

CCXXXIIII.

Nullae propemodum graviores & diuturniores in Chriſtianos vexationes incubuerunt, quam Perſicae, primum Saporis II. circa a. Chr. 343. *Conſtantio* & *Conſtante* Auguſtis, non *Conſtantino* M. principe, excitari coepta, tum *Iſdigerdis* ab a. Chr. 414. eiusque filii *Vararanis*.

CCXXXV.

Julianus non iniuria ὁ Παραβάτης vel ὁ Ἀποςάτης h. e. deſertor Chriſtianorum ſacrorum dictus fuit.

CCXXXVI.

Julianus ſacris Chriſtianis plus nocuit inſidiarum cuniculis & artibus, quam alii vi & armis.

CCXXXVII.

Frequenti terrae tremore fundamenta Hieroſolymorum tempore *Juliani* Imperatoris disiecta eſſe non eſt, cur negemus.

CCXXXVIII.

Julianum Imperatorem, iamiam moriturum, haec verba ore ſuo emiſiſſe: *Viciſti tandem Galilaee!* admodum dubiae videtur eſſe auctoritatis & famae.

CCXXXVIIII.

Theodoſius Comes, *Theodoſii* I. Imperatoris pater, non a *Valente*, ſed *Gratiano* interemtus eſſe videtur.

CCXL.

Valentinianum I. duas ſimul vxores habuiſſe negauerim.

CCXLI.

Nec *Eutropium*, nec *Ammianum Marcellinum* in Chriſtianis habuerim.

CCXLII.

CCXLII.

Libri V. de *Excidio Hieroſolymitano*, qui hodie circumferuntur, nomen *Hegeſippi* ſ. *Egeſippi* mentiuntur.

CCXLIII.

Monachi a *Valente* Imperatore non tam ad militiam caſtrenſem, quam vrbanam h. e. curialia munera coacti & revocati fuerunt.

CCXLIIII.

Ad potentiae Epiſcopi Romani curſum non parum contuliſſe videtur conſtans ferme ſaeculo IV. & V. Imperatorum Chriſtianorum ab vrbe Roma abſentia.

CCXLV.

Lex, auctore *Ambroſio*, Epiſcopo Mediolanenſi, de ſuſpendenda per XXX. dies capitis poena a *Theodoſio* M. ſcripta, alia mihi videtur eſſe, atque illa, quae extat l. 13. *Cod. Theodoſ. de Poenis.*

CCXLVI.

Stilichonem, *Honorii* tutorem, proditionis & inſidiatricum imperio artium crimine non abſolverim, (contra *Zoſimum*; V. *Hiſt. Nov.* 32.)

CCXLVII.

Pulcheria Theodoſium II. fratrem primis annis non rexit, ſed *Anatolius*, *Isdigerdis*, Perſici regis, nomine.

CCXLVIII.

Pulcheriae, qualis perhibetur vulgo, virginalis caſtitas nimium ſuſpecta eſt.

CCXLVIIII.

Pſeudo-*Dionyſius Areopagita* fortaſſis *Syneſio*, Ptolemaidis Epiſcopo, debetur.

CCL.

Male *Socrates* VII. *Hiſt. Eccl.* 18. princ. negauit, Chriſtianos ſub *Isdigerdis*, Perſarum regis, dominatione vexatos eſſe.

CCLI.

Et *Idatius* in *Chron.* p. m. 35. & *Euagrius* II. *Hiſt. Eccl.* 7. in definienda principatus *Aviti* duratione errarunt, ille augendo, hic minuendo.

CCLII.

Catholicos, etſi linguis ſuis ab *Hunnerico*, Vandalorum rege, mutilatos, tamen verba feciſſe locupleti teſtium ſub fide crediderim.

CCLIII.

Georg. Cedreni & *Zonarae* narratio de tragica *Zenonis* Iſauri morte ſcrupuli difficultate non caret.

CCLIIII.

CCLIIII.

Quae narrantur vulgo de *Ampulla Remenſi*, coelitus delapſa, neque ad ritum inaugurandi regis pertinent, neque defenſione Abbatis *Vertotii* (in *Comment. Acad. Reg. Inſcr.* T. III. p. m. 350. ſequ.) vllum veriſimilitudinis colorem adepta ſunt.

CCLV.

Quae *Victor Tununenſis* habet de Euangeliis iuſſu *Anaſtaſii* emendatis, nullius ſunt momenti, hauſta quippe ex vulgari *Anaſtaſium* ſermunculis infamantium rumore.

CCLVI.

Quod de *Iuſtiniano* dicitur apud *Suidam*, in voc. Ἰουστινιανὸς, fuiſſe eum ἀμάθητον γραμμάτων ἁπάντων & ἀναλφάβητον, id de *Iuſtino* accipiendum eſſe aliunde novimus.

CCLVII.

Male vulgo *Achrida* ſ. *Lychnidus* Epiri, cum *Bederina* ſ. *Bederiana* Dardaniae, *Juſtiniani* patria, miſcetur, quod vtraque *Juſtinianae primae* nomen habuit.

CCLVIII.

Theophilus, graecus *Inſtitutionum* interpres, *Juſtiniani Imperatoris* aequalis fuit Ictus.

CCLVIIII.

Procopii Anecdotis non omnem omnino fidem abiudicaverim.

CCLX.

Langobardi nec e *Scandinavia* orti ſunt, nec a longis barbis cauſam nominis duxerunt, quantumuis vtrumque velit *Paulus Warnefridus* I. de *Geſtis Langob.* 2. & 9.

CCLXI.

Rixae *Neſtorianorum* & *Eutychianorum*, item aliarum Eutychiani erroris velut propaginum, nominatim *Monophyſitarum*, *Monotheletarum*, rel. irreparabile cum ciuilibus orientis tum ſacris rebus damnum attulerunt.

CCLXII.

Trajectum Batauorum, quod in priſcis ſubinde annalibus *Traiectum vetus*, hodieque vulgo *Ultraiectum* nominatur, non idem eſt, atque *Viltraiectum*, quaſi *Traiectum Viltorum* dixeris.

CCLXIII.

Honorius, Pontifex Romanus, vt *Monotheleta*, in Synodo CPolitana damnatus eſt.

CCLXIIII.

Vulgaris narratio de *Radbodo*, Friſiorum regulo, *Vulframni*, Senonenſis Epiſcopi, colloquio ad ſacri Lavacri vſum fruſtra perducto, vix credibilis eſſe videtur.

CCLXV.

Pagius Crit. Baron. ad a. 726. XII. p. m. 361. Tom. XII. & alii, *Gregorium* II. Pontificem Romanum, perduellionis adverſus *Leonem* Iſaurum, Imperatorem, crimine fruſtra abſolvunt.

CCLXVI.

CCLXVI.

Quae vulgo contumelioſa de *Conſtantino Copronymo* Imperatore perhibent annales, ea vereor, ne pleraque irae & odio Monachorum debeantur.

CCLXVII.

Zacharias, Pontifex Romanus, a *Pipino* conſultus, ſatis impudenter ipſi, *Childericum* III. regem Francicum, ſolio deturbari poſſe, perſuaſerat.

CCLXVIII.

Habeo ſuſpicandi cauſas *Leonem* IIII. *Porphyrogenetam* ab vxore eius *Irene* veneno ſublatum eſſe.

CCLXVIIII.

Synodus *Nicaena*, *Irene* principe coacta, falſo dicitur *oecumenica* ſeptima.

CCLXX.

Irene peſſima fuit princeps, tametſi vulgo a Chronographis laudetur.

CCLXXI.

Natale ſolum *Caroli M.* non ſatis exploratum eſt.

CCLXXII.

Carolus M. reuera literas pingere neſciit, ſecundum *Eginhardum* in vita Karoli. c. 25.

CCLXXIII.

Carolus M. Patricii titulo ius in urbem Romam habuit.

CCLXXIIII.

Carolo M. principe nullae fuerunt Academiae: quo magis mirari nos oportet illorum credulitatem, qui de *Bononienſi* Academia, a *Theodoſio* II. ſi diis placet, condita nugantur.

CCLXXV.

Narratiuncula auctoris *Chronici Laureshamenſis* de matrimonio *Eginhardi* cum *Imma* ſ. *Emma*, *Caroli M.* vt aiunt, filia, fabulis accenſeri debet.

CCLXXVI.

Diploma *Ludovici Pii*, quo iuri ſuo Pontifices Romanos confirmandi renunciaſſe dicitur, nullius auctoritatis & pretii eſt.

CCLXXVII.

Agobardi Lugdunenſis, & *Claudii*, Taurinenſis Epiſcopi, par iudicium *de cultu imaginum* minime parem vtrique attulit fortunam: illum ſuperſtitionis pontificiae libido ſanctum, hunc haereticum eſſe iuſſit.

CCLXXVIII.

Hollandiae nomen ſaeculo circiter VIIII. vetuſtius non eſt.

CCLXXVIIII.

Johanna femina in Romanorum Pontificum faſtis expungenda eſt.

CCLXXX.

CCLXXX.

Geographi Ravennatis perexigua eſſe debet auctoritas.

CCLXXXI.

Defenſio *Pagiana* chartae donationis *Johanni* XII. Pontifici Romano, a. C. 962. ab *Ottone* I. Imperatore factae, vel renovatae, nondum ſuſpicionem νοθείας eius tollit.

CCLXXXII.

Berengarius, morti proximus, priſtinae ſuae de S. Coena ſententiae vadimonium non deſeruiſſe videtur.

CCLXXXIII.

Guilielmus Conqueſtor dubio iure regnum Angliae invaſerat.

CCLXXXIIII.

Suidas non antiquior ſaeculo XII. fuiſſe videtur.

CCLXXXV.

Gregorius VII. impurus quidem & nequam fuit homo, ſolers tamen pontificiae dominationis amplificator.

CCLXXXVI.

Verſus ignominioſi, quibus *Lotharius* II. *homo Papae* factus eſſe dicitur, haudquaquam vivo *Lothario* Auguſto, ſub auſpicia tamen forte principatus *Friderici Aenobarbae* callide procuſi eſſe videntur.

CCLXXXVII.

CCLXXXVII.

Communis paene omnium fama de Pandectarum Codice, in *Amalphitana* direptione a *Piſanis* reperto, ipſisque a *Lothario* II. Imperatore donato, nondum ſatis exploratae fidei eſſe videtur.

CCLXXXVIII.

Perridicula eſt fabella de *Alexandro* III. Pontifice Romano, *Friderici* I. *Aënobarbae*, Caeſaris, collum pedibus calcante.

CCLXXXVIIII.

Neque fidem merentur, quae de *Coeleſtino* III, impoſitum *Henrico* VI. diadema pede rurſus excutiente, idemque mox capiti eius reddente, narrat *Rogerius Hovedenus* in *Annal.* ad a. Chr. 1191.

CCLXXXX.

Serratis potiſſimum *Harlemenſium* navigiis repagula vrbis *Damiatae* diſſecta, atque ſic vrbem a Chriſtianis captam fuiſſe lubens crediderim, ſi aequalis & locuples ederetur teſtis.

CCLXXXXI.

Interregnum Germaniae, quod vocant, *magnum* nondum ſatis ex vero contumulatum fuit.

CCXXXXII.

Vrbes *Hanſeaticae* a priſco vocabulo theotiſco *Hanſe*, vel *Henſe*, h. e. ſocietate, nomen habuerunt.

CCLXXXXIII.

CCLXXXIII.

Adolpho Naſſavio, Caeſari, nonnulli Germaniae principes imperium nullo iure abrogare conati ſunt.

CCLXXXXIIII.

Henricus VII. Imperator non ſine ſuſpicione veneni, ſceleriſque Dominicani ſacerdotis periit.

CCLXXXXV.

Certius in Franciae regnum cum propter legem Salicam, tum voluntate procerum, *Philippi Valeſii*, quam *Eduardi* III. Regis Angliae, ius fuit.

CCXXXXVI.

Carolum IV. Caeſarem non iniuria fortaſſis imperii Germanici vitricum appellaveris.

CCLXXXXVII.

Johannae Darciae, (Jeanne d'Arc) puellae Aurelianenſis, inuſitata virtus tam claris teſtium literis conſtat, vt in dubium vocari non poſſit.

CCLXXXXVIII.

Diuerſo rei adiunctorum intuitu vtrique, & *Harlemenſes*, & *Moguntini*, artis typographicae auctores dici poſſunt.

CCLXXXXVIIII.

Vix impuriorem *Alexandro* VI. Epiſcopum ſedem pontificiam habuiſſe, integrum *Stephani Infeſſurae Diarium vrbis Romae* ap. *Eccard.* in *Corpore Hiſtoriarum medii aevi* Tom. II. docet, non truncatum a *Muratorio* in *Scriptor. Rerum Italicarum* Tom. III. Parte altera.

CCC.

America veteribus non prorſus incognita fuiſſe videtur.

CCCI.

Nulla, quas vulgo praefabantur Hiſpani, cauſarum iuſta & idonea fuit ad ſubigendos, interimendoſque *Americanos*.

CCCII.

Catholici titulus, Hiſpaniarum hodie regibus privus, *Ferdinandi* V. temporibus antiquior non eſt.

CCCIII.

Singularis *Ludovici* XII. Franciae regis numus cum titulo: PERDAM BABYLONIS NOMEN non aliorſum, niſi ad Romam, eiuſque nominatim Pontificem *Iulium* II. quem rex caſtigare ſtatuerat, reſpexit.

CCCIIII.

Ferdinandus Catholicus Navarrae regnum iniuria Francis eripuerat.

CCCV.

Maximilianus I. Imperator prudentiſſime, etſi fruſtra, Pontificatum Maximum poſt *Julii* II. mortem ambierat.

CCCVI.

Idem *Maximilianus* inclyti illius carminis theotiſci, *der Theurdank*, auctor non fuit.

CCCVII.

Pactionis religio, qua *Franciſcus* I. rex Galliae *Carolo* I. Hiſpaniarum regi, ſe *Madriti* a. 1526. obſtrinxerat, neſcio, an ſimilitudine exempli Sponſionis Romanorum *Caudinae*, aut *Numantinae*, aliove argumentorum colore eludi potuerit.

CCCVIII.

Carolus V. Imperator opportuna calliditate populos Belgicos in circulum Burgundicum coniecerat.

CCCVIIII.

In dubium vocari non poteſt, *Hollandiae* olim Comites cum imperio Germanico Feudi iure nexos fuiſſe.

CCCX.

Hugonotarum nominis cauſa non ſatis certa & evidens eſt.

CCCXI.

Libri *Interim* auctores fuiſſe videntur *Julius Pflugius*, Numburgenſis antiſtes, *Michaël Sidonius*, Epiſcopus Merſeburgenſis, & *Joh. Agricola*, Islebius.

CCCXII.

CCCXII.

Quid *Carolum* V. Auguſtum ad imperii abdicationem maxime impulerit, nondum clare apparere videtur.

CCCXIII.

Quae vera nec ſimulatrix tragicae mortis *Caroli*, *Philippi* II. Hiſpaniae regis, filii, cauſa fuerit, nondum plane liquet.

CCCXIIII.

Philippi II. Hiſpaniarum regis iugum ſummo iure *Batavi* excuſſerunt.

CCCXV.

Tam diverſa eſt *Georg. Buchanani*, & *Guil. Camdeni* de *Maria*, Scotorum Principe, fama, vt nocens haec regina, an innoxia haberi debeat, incertus haereas.

CCCXVI.

Guilielmi I. Arauſiaci Principis, *Apologia* adverſus tabulas proſcriptionis Hiſpanicas euulgata nihil verius, accuratius, honeſtius.

CCCXVII.

Gregorianae Kalendarii & faſtorum emendationi ſatis inepte olim *Proteſtantes* obſtrepebant.

CCCXVIII.

CCCXVIII.

Vetus Romanorum in caſtris & acie diſciplina a *Mauricio*, Principe Arauſiaco, in vſum revocata, civitatem Batauam mirabili rerum ſecundarum curſu beauit.

CCCXVIIII.

Non recens eſt de parricidalibus *Ieſuitarum* inſidiis conqueſtio. Dudum ipſos ineunte ſuperiori Saeculo indelebilibus infamiae notis compunxit *Anti-Cottonis* auctor.

CCCXX.

Quae *Ludovicus*, *Beniamini* Fil. *Auberius Maurerius* in *Commentariis* ſuis *Hollandicis* Sect. II. & paſſim alibi, de *Mauricio*, principe *Arauſiaco*, dominationem *Hollandiae Zelandiae*que aucupante, narrat, non vna de cauſa mihi ſuſpecta eſſe videntur.

QVAESTIONES LITERARIAE

(II) QVAESTIONES RHETORICAE

I.

Iidem olim Rhetores, qui Philoſophi fuerunt.

II.

Is ſolus recte tenuit vim oratoriam, qui *Eloquentiam* cenſuit *Dialecticam* eſſe *dilatatam*.

III.

Senſu rhetorico aliud eſt *loqui*, & fari, aliud *diſſerere*, aliud *dicere*: vnde hominis *facundi* vel *diſerti*, & *eloquentis* naſcitur diſcrimen.

IIII.

Tria duntaxat cauſarum genera ſunt Ἐπίδειξις, *Deliberatio*, & *Judicium*, ſive genus *Demonſtrativum*, *Deliberatiuum* & *Iudiciale*: quartum aliquod ſive *Didaſcalicum*, ſive *Mixtum* comminiſci nec opus eſt, nec licet.

V.

Illarum hodie cauſarum nullum ſupereſſe vſum male vulgo exiſtimant.

Digitized by Google

VI.

Non aliud proprie orationis argumentum quaeri debet, quam cuius cauſa dicitur.

VII.

Saltem orationis hodie argumentum eſſe debet res opinabilis, cuius in vtramque partem vis eſſe ſolet.

VIII.

Oratoris eſt dicere ad *perſuadendum* accommodate.

VIIII.

Ideoque orator non *docere* ſolum, ſed *conciliare* quoque, & *movere* debet. Iſtud enim *ſcholae* duntaxat eſt: haec duo ad *concionem* pertinent.

X.

Primarius eloquentiae fons eſt in *Loco Magnitudinis.*

XI.

Qui tamen non augere rem vltra, quam veritas patitur, hoc eſt, mentiri, ſed in omnes partes vnam eandemque rem verſare iubet, vt in clariſſima luce collocetur.

XII.

Rectiſſime *Quinctilianus* X. *Inſt. Orat.* VII. 15. *pectus*, inquit, *eſt*, *quod diſertos facit*, *& vis mentis.*

XIII.

In verborum brevitate, ſive interpunctorum frequentia etiam ſumma loquacitas eſſe poteſt.

XIIII.

Difficillimum pariter atque venuſtiſſimum genus Epiſtolarum hoc eſt, quo alteri amorem, benivolentiam, gratum animum, ſimiliaque ſignificamus.

XV.

Ineptiſſimi ſunt Rhetores, qui tirones ſuos vel epiſtolam vel orationem ſcribere iubent absque ſingulari hominum, locorum, & temporum deſignatione.

XVI.

Maxima oratoris virtus & dos eſt in *Elocutione.*

XVII.

Nec minor orationis pulchritudo eſt in ſimplicitate, verborumque propriorum dilectu.

XVIII.

Maius difficiliusque eſt *latine*, quam *grammatice* ſcribere, ſaepeque qui hoc poſſunt, illud non poſſunt.

XVIIII.

Vt latine ſcribas, latine cogites neceſſe eſt.

XX.

In vernaculis ſermonibus popularis vſus, & ἄλογος τριβὴ plus interdum efficit, quam ſolers Grammatica. Latinus contra ſermo non aliter niſi *legendo*, *obſervando*, *imitando*, tenetur.

XXI.

Stilus eſt optimus dicendi artifex.

XXII.

Ὀνοματοποιΐα verborum latinorum licuerit fortasſis *Ciceroni*, II. *Acad. Quaeſt.* 7. & paſſim alibi, item *Horatio*, (*Art. Poët.* 48-72.) nobis hodie latine ſcribentibus non licet.

XXIII.

Aeque vitioſus eſt orationis Κοινισμὸς, atque Σολοικισμὸς generis, numeri, caſus, temporum iunctura aberrantium.

XXIIII.

Aſpera & ſubruſtica verborum compoſitorum velut *conligare*, *conpeſcere*, *commentari*, *inluminatus*, *adfabilitas*, *adfinis*, *inpetus*, *obcurrit* & centum id genus aliorum, ſcriptura, toties hodie falſo pulchritudinis aucupio vſitata, latinas aures & oculos offendit.

XXV.

Tropi & *Figurae* ſunt indices animi vel leniter, vel graviter commoti.

Digitized by Google

XXVI.

Errant, qui *Troporum* & *Figurarum* ſcientiam cognitu inutilem eſſe opinantur.

XXVII.

Recta verborum latinorum collocatio & conformatio nullo vernaculi oris ſenſu regitur, ſed philoſophica quadam cauſarum & temporum velut ſerie & conſecutione metienda eſt.

XXVIII.

Periodus non eſt in ſola duntaxat & bruta verborum circumductione, ſed in ambitu & orbe ſententiae, quem rei cauſae, conditiones, adiuncta, pariunt.

XXVIIII.

Quaedam etiam *negligens* eſt *diligentia.*

XXX.

Synonymis ad orationis varietatem & copiam opus eſt.

XXXI.

Neque tamen haec ſubtilitate quadam Dialectica aeſtimari debent.

XXXII.

Quot oratoris officia, tot etiam dictionis genera, *Subtile* videlicet ſive *Tenue*, *Mediocre*, & *Sublime*.

XXXIII.

XXXIII.

Neque ceteris, quas vulgo Rhetores iactant, dicendi ſcribendique formis, veluti *ſtilo* vt aiunt, *Attico*, *Aſiatico*, *Rhodio*, *Philoſophico*, *Hiſtorico*, *Epiſtolico*, *Lapidari*, & neſcio quibus aliis, opus eſt.

XXXIIII.

Inprimis vanae ſunt vulgares de *ſtilo Laconico* ſcholae.

XXXV.

Verſus latinos pro concione recitare fini oratorio repugnat.

XXXVI.

Item a ſoluta ad vinctam numeris orationem, aut viciſſim, deſilire, optimorum oratorum exemplo caret, ſcholaſticamque labentis aevi, tanquam *Sidonii Apollinaris*, *Martiani Capellae*, *Severini Boëthii*, & aliorum, conſuetudinem ſapit.

XXXVII.

Aeque ineptae ſunt *Inſcriptiones*, quas vocant, *argutae*, atque Anagrammatum, Eteoſtichorum, Acroſtichidum nugae difficiles.

QVAESTIONES LITERARIAE

(III) QVAESTIONES POËTICAE

I.

Pulchre *Martialis* XIV. *Epigr.* CXCIV. de *Lucano:*

Sunt quidam, qui me dicunt non eſſe poëtam,
Sed qui me vendit Bibliopola putat.

II.

Is ſolus tam eximio Poëtae nomine dignus eſt, qui veriſimiliter aliquid creat.

III.

Incorruptum carminis Epici exemplar eſt *Homeri Ilias* cum *Odyſſea*, & *Virgilii Aeneis.*

IIII.

Carminis Epici argumentum princeps aut fabula eſſe debet, aut obſcurior rei fama.

V.

Falluntur ergo cum naſutulo *Voltaerio*, qui rem, teſtium fide certam, in fabulam commutare, quam ex fabula aliquid effingere malunt, quod rei geſtae ſimile videri poſſit.

VI.

Aliud in carmine Epico argumentum, vel id, quod creatur, eſt, aliud Epiſodion.

VII.

Vnde poëtae Epici haud ſpernendi ſaepe rerum geſtarum teſtes eſſe poſſunt & debent.

VIII.

——— ——— *Pictoribus atque Poëtis*
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas

non *Horatii* iudicium eſt, ſed *poëtaſtri* praemunitio.

VIIII.

Verſus & Carmina ſcribere poteſt qui minime Poëta: contra talis eſſe poteſt, etiamſi oratione, metri legibus adſtricta, non vtatur.

X.

Fabularum *Tragicarum*, *Comicarum*que vſus aeque late patet, atque Carminum Epicorum, & Satyrarum.

XI.

Inepta deſcriptio eorum eſt, quibus *Tragoedia* lugubres, *Comoedia* laetos exitus habere videtur.

XII.

Tragoediis regum & principum virorum, *Comoediis* priuatorum hominum ſtultitia reprehendi debet.

XIII.

Quae legibus divinis & humanis coërcentur, ea in theatrum proferri, & ſibilo explodi nefas.

XIIII.

Ideoque nec impietatem, nec ſimulatam pietatem, nec vllius generis crimen, nec ſcelus, nec delictum ſale comico perfricare licet.

XV.

Fabularum theatralium materia eſſe debet actio quidem indifferens, ſ. ἀδιάφορος, fatua tamen:

veluti hominis omnia ridicule paventis, (*Poltron*) res alienas ſemper, aut nihil cogitantis, (*Diſtrait*) ſtolide glorioſi, aut doctoris vmbratici, (*Glorieux*, *Pédant*) rerum novarum intemperanter ſtudioſi, (*Curieux*) inepte loquacis, (*Babillard*) ſcurrae, & ſubſolani hominis, (*petit Maître*) feminae, eruditionis gloriationem & ſimulacra appetentis, (*femme ſavante*) aliorumque id genus animi & corporis affectionum, quae riſum magis, quam ſtomachum movere ſolent.

XVI.

Praeclare *Simonides* apud *Plutarchum*, de *gloria Athenienſium* p. 246. F. iudicauit, ζωγραφίαν, πόιησιν σιωπῶσαν···· τὴν δὲ πόιησιν, ζωγραφίαν λαλῦσαν, picturam, tacitum poëma, poëma contra loquentem picturam eſſe.

XVII.

XVII.

Quam in tabulis pictis veritatem dignitatemque colorum temperatio, eandem in carminibus opportuna, nec frigide redundans, adiunctorum vis efficit.

XVIII.

Poëtae *alia quadam lingua loqui* ſolent, vt recte indicat *Cicero* II. de *Orat.* 14.

XVIIII.

Chriſtianae pietati non inimicus eſt Gentiliſmi in carminibus latine ſcribendis vſus.

XX.

Fabulare enim Deorum, heroumque, miniſterium ita cum ſermonis latini cauſis ſaepe aptum & nexum eſt, vt ſi illud Mythologiae genus damnes, poëtici quoque Latinorum oris divitias, varietatem, & copiam tollas.

In

QVAESTIONES LITERARIAE

(IIII.) QVAESTIONES ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

I.

In deſcribendis vitae Romanorum publicae privataeque formulis diligentiores ſaepe Graeci, quam domeſtici ſcriptores fuerunt.

II.

Locus, vbi Roma fuit condita, iam ante Duumviros coloniae deducendae *Romulum* & *Remum*, habitatus fuiſſe videtur.

III.

Roma a *Romulo* nomen non habuit.

IIII.

Incredibilis rerum Romanarum ad omnem excellentiam curſus ratio in ipſa vrbe quaeri debet.

V.

Ἀττική, Attica, eſt qvaſi Ἀκτική ab ἀκτή, rupicoſum litus.

VI.

Magna Graecia ideo ſic dicta eſſe videtur, quod regionis amplitudine Graeciam propriam ſuperabat.

VII.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

VII.

Athenae ab Ἀθήνη, Pallade, nominis ſui cauſam habuerunt.

VIII.

Τῆς Ἀθηνᾶς vero cubilia in Aegyptiorum voce Νηϊθ latuiſſe videntur.

VIIII.

Deus non inepto nonnullorum Grammaticorum, tanquam *Gatackeri*, & aliorum, iudicio ab Aeolum Δεὺς, pro vulgari Ζεὺς, repetendus eſſe videtur.

X.

Veſtam non pro ſole, ſed pro terra acceperunt veteres philoſophi.

XI.

Venus ἀποστροφία, ſ. *verticordia*, οὐρανίας ſ. caeleſtis genus ſuiſſe videtur.

XII.

Dii Cabiri ſunt *Caſtor* & *Pollux*.

XIII.

Arae ἀγνώστου Θεοῦ apud *D. Lucam*, in *Act. Apoſt.* XVII. 23. cauſa non quaerenda eſt in aris ἀνωνύμοις *Epimenidis*, apud *Diogen. Laërt.* I. Sect. 110.

XIIII.

Ridicula eſt *luci* originatio, quam κατ' ἀντίφρασιν ſomniantur Grammatici, quaſi minime luceat.

XV.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

XV.

Non omnia templa ſunt aedes ſacrae, nec omnes viciſſim aedes ſacrae templorum ius & nomen obtinuerunt.

XVI.

Romani ab ipſis paene vrbis ſuae incunabulis templa habuerunt.

XVII.

Πρόναος Graecorum & per *ante-templum*, hoc eſt, frontem, & per *Veſtibulum*, ſive *Atrium* reddi poteſt.

XVIII.

Altare eſt ſummitas *arae*.

XVIIII.

Abdita & *obſcura loca*, e quibus *ſigna tranſlata* eſſe dicuntur in lapide *Fabrettiano* IV. 173. & 499. non ſunt *templorum faviſſae*, vt *Drackenborchio* V. C. ad *Livium*, V. 50. p. 222. viſum, ſed longe alio ſpectant.

XX.

Delubrum eſt, cuius vno ſub tecto plures coluntur Dii.

XXI.

Pontifex M. nec ſacerdotum, nec minorum magiſtratuum rogandorum cauſa comitiis tributis praefuit.

XXII.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

XXII.

Si duo pluresue ſimul Auguſti ante *Balbinum* & *Pupienum* imperio praefuerunt, primus *Pontificis Maximi* titulum ſibi aſcivit, alter vel ceteri nude duntaxat *Pontifices* vocabantur.

XXIII.

Non omnia, quae dextra, e diſciplina Romanorum augurali fuerunt auſpicata. Secus ſe res habuit apud Graecos.

XXIIII.

Aruſpicum libera Romanorum civitate nullum extitiſſe Collegium putaverim.

XXV.

Libri Sibyllini nihil fatorum populi Romani continuiſſe videntur, ideoque eorum aditio mera ſacerdotum fraus & impoſtura cenſeri debet.

XXVI.

Fratres Aruales controuerſias finium regundorum diremiſſe nego.

XXVII.

Auguſtales non e civilium magiſtratuum, ſed ſacerdotum fuerunt genere.

XXVIII.

Flamen Dialis magiſtratum civilem gerere poterat.

XXVIIII.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

XXVIIII.

Idem quoque, vt iudex, Pontificum Collegio interfuiſſe videtur.

XXX.

Anniuerſarium bonae Deae ſacrum non in domo Pontificis Maximi, ſed eius, qui in imperio erat, domo fieri ſolebat.

XXXI.

Camillus idem, qui *Casmilus* olim, vel *Cadmilus*, isque a *Cadmo* Phoenice.

XXXII.

Oraculorum Graecorum ludibria, interdum veritatem, meris ſacerdotum praeſtigiis deberi vix crediderim.

XXXIII.

Nundinae, & *nefaſti*, & *faſti* dies, pro temporum ſcilicet diverſitate, fuiſſe videntur.

Digitized by Google

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

XXXIIII.

Sumto triplici *Liberalium Atticorum* genere Διονυσίων τῶν κατ' ἄστυ ſ. Ἀστικῶν, τῶν κατ' ἀγροὺς, & τῶν Ληναίων ſ. ἐν Λίμναις, tametſi credibile ſit, Λήναια eadem eſſe videri, quae Ἀνθεστήρια, & a ruralibus, ſ. τοῖς κατ' ἀγροὺς neceſſario ſecerni oportere, tamen quomodo haec ipſa Λήναια, tanquam in vrbis parte celebrata, a Διονυσίοις, nude ſic dictis, hoc eſt itidem *vrbanis* diſcrepare poſſint, nondum clare cernitur. Parum lucis affert vel ambigua menſium diverſitas, emendatiove, vel μεγάλων indicium.

XXXV.

Eleuſinia non ſingulis quinquenniis, ſed quotannis celebrata fuerunt.

XXXVI.

Ludi haudquaquam a *Lydis*.

XXXVII.

In ſtadio *Circi Creta* eadem eſt, quae *Calx*, graecis ἐσχάτη γραμμή.

XXXVIII.

Aulaea in theatro Romano non in altum, vt hodie fit, tollebantur, ſed demittebantur.

XXXVIIII.

Cothurni non ſemper ſunt calcei, quibus grandior hominis ſtatura efficitur.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

XXXX.

Ludi Capitolini non a vicorum magiſtris, ſed a viciinis Capitolio ciuibus fiebant.

XXXXI.

Compitalia non fuerunt ſtati dies feſti.

XXXXII.

Errat *Valerius Maximus*, II. IV. Ex. 7. cum *Athletarum* origines a *M. Scauri* munificentia repetit.

XXXXIII.

Quae hodie dicuntur vulgo *Torneamenta*, non ſunt quaſi *Troiamenta*, vt *Vertranius* ad *Tac.* XI. *Ann.* 11. opinatus eſt.

XXXXIIII.

Quinquennis proprie *Olympias* dici non poteſt, tametſi ab *Ovidio* IV. *ex Pont. Epiſt.* VI. 5. & aliis ſubinde, eo modo definiatur.

XXXXV.

In agone *Pythio* ad citharae, vel tibiae modos non videtur ſaltatum fuiſſe.

XXXXVI.

Primarium in ludis *Pythiis* praemium non *eſculeae frondis* corona, ſed ex lauro fuiſſe videtur.

XXXXVII.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE,

XXXXVII.

Duplex genus *Nemaeorum* fuit, alterum aeſtiuum, alterum hibernum.

XXXXVIII.

Saeculum Romanum quot examuſſim annis abſolvatur, nondum ſatis conſtat.

XXXXVIIII.

Menſium Atticorum ordinationi *Scaligeranae* intercedere non debebat *Petavius*.

L.

An Βύσιος, Delphorum menſis, *Thargelioni* Atticorum reſponderit, dubium eſt.

LI.

Πάνεμος Corinthiorum cum *Hecatombaeone* Atticorum convenire videtur.

LII.

Non omnia *Solaria* latinis ſunt horologia ſciotherica.

LIII.

Jus Quiritium nudo ciuitatis Romanae iure nobilius fuiſſe exiſtimaverim.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

LIIII.

De origine appellationis Senatorum, qui *minorum gentium* dici ſolebant, diuerſa narrantes *Livius*, l. 35. & *Tacitus*, XI. *Ann.* 25. in concordiam redigi posſunt.

LV.

Non opus eſt *Ciceronis* pro *Sextio* 65. locus ſollicitetur pro *ab vniuerſo populo* legendo *ex vniuerſo populo*.

LVI.

Princeps Senatus haud dubie princeps ciuitatis fuit, ſed non viciſſim, qui ciuitatis princeps, is etiam neceſſario & proprie Senatus fuit.

LVII.

Non errant, qui inter *Equites* Romanos *equo publico* & *priuato* diſtinguunt.

LVIII.

Princeps iuuentutis pro primo inter equites lecto Romanis libera ciuitate incognitus fuit.

LVIIII.

Lectio in ordinem Senatorium, vel ius propter magiſtratum curiam intrandi non impediit, quo minus aliquis, antea eques, *equum publicum* retineret,

LX.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

LX.

Plebeii interdum apud Romanos nobiliores patriciis fuerunt.

LXI.

Aliud erat, imagines, aliud, ius imaginum habere.

LXII.

Expreſſi cera vultus, quos in armariis patricii ſervabant, auctore *Plinio*, XXXV. *Hiſt. Nat.* 2. non toti cerei, vt nonnulli exiſtimant, ſed picti fuerunt.

LXIII.

Reges Romani non omnem poteſtatem habuerunt, adverſus *Pomponii* Epitomatorem l. 2. §. 14. ff. *de Or. Iur.*

LXIIII.

Quaeſtores aerarii regum temporibus minime extitiſſe videntur.

LXV.

Archontes annui non αἱρετοὶ, ſed κληρωταὶ fuerunt magiſtratus.

LXVI.

Σεισάχθεια *Solonis* condonatio aeris alieni fuiſſe videtur.

Digitized by Google

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

LXVII.

Recte, meo quidem iudicio, *Adr. Iunius* (I. *Animad.* 3.) λίθον ἀναιδείας, in quo reus coram iudicio Areopagitico ſtetiſſe ferebatur, in λίθον ἀναιτίας commutavit.

LXVIII.

Areopagitas de levioribus delictis cognoviſſe, eaque mulctis coërcuiſſe negauerim.

LXVIIII.

Eoſdem, auctore *Solone*, gradu & loco *Ephetis* maiores fuiſſe aio.

LXX.

Draco non tam auctor *Ephetarum* iudicii, quam inſtaurator fuiſſe videtur.

LXXI.

Duplex fuiſſe genus *Amphictyonici Senatus* alterum ex XII. gentibus, alterum ex XII. vrbibus collectum, illud *Theſſalicum*, hoc *Delphicum*, nego.

LXXII.

Suffetes Carthaginienſium iidem ſua origine videntur eſſe, qui Ebraeis שׁוֹפְטִים, iudices.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

LXXIII.

Qui maior eſt magiſtratus apud Romanos, is neceſſario Curulis, non viciſſim, qui Curulis, maior erit.

LXXIIII.

Conſules etiam extra vrbem olim Romam fuerunt.

LXXV.

Ad ſolum *praetorem vrbanum*, non itidem *peregrinum*, regia Conſulum Romanorum poteſtas abſentibus Coſſ. pertinuiſſe videtur.

LXXVI.

Praetor peregrinus non videtur in *Albo* edictum propoſuiſſe.

LXXVII.

Album Praetoris fuit tabula dealbata atris literis.

LXXVIII.

Edictorum Praetoriorum non ea generatim fuit indoles & natura, vt ius civile ludificarentur, ſed vt variis in cauſis adiuuarent.

LXXVIIII.

Recte *Juſtinianus* Imperator §. 7. *Inſtitut. de Iure Nat. Gent. & Civili, Ius*, inquit, honorarium *ſolemus appellare, quod qui honorem gerunt, id eſt, magiſtratus*, auctoritatem *huic generi dederunt.*

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

LXXX.

Verba *Livii* IV. 8. *vt.... vectigalia populi Romani ſub nutu atque arbitrio* (Cenſorum) *eſſent*, non proprie & ſimpliciter ſunt accipienda, quaſi cenſores ius habuerint vectigalia imperandi, augendi, minuendi, pro lubitu.

LXXXI.

Haec duo inter ſe diſcrepant: *in tabulas caeritum referri*, & *aerarium fieri.*

LXXXII.

Aediles Curules in magiſtratibus vulgo maioribus temere recenſentur.

LXXXIII.

Aediles Comitiis aedilibus creandis praeeſſe potuiſſe, quo minus credamus, nihil impedit.

LXXXIIII.

Solicitari ergo locus *Gellii* VI. N. A. 9. non debet. Sunt enim, qui pro *at aedilis, qui Comitia habebat*, legendum putent, vel: *at ille*, vel: *at aedilium qui Comitia habebat.*

LXXXV.

Quaeſtores anno aetatis triceſimo maturius creatos fuiſſe, priſcis certe moribus, & florente republica, nego.

LXXXVI.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

LXXXVI.

Iisdem *aerarii quaeſtoribus* an ius concionis habendae indultum fuerit, dubito.

LXXXVII.

Quaeſtores Kandidati, ſiue *Candidati Caeſaris* cur ita per eminentiam dicti fuerint, niſi haec cauſa nominis ſumatur, quod, quamdiu eo munere fungebantur, tamdiu toga candida amicti incedebant, alia veriſimilis nulla afferri poteſt ratio.

LXXXVIII.

Tribuni plebis non impedimentum duntaxat magiſtratuum, vt ratione *Liviana* II. 56. vulgo abuſi concludunt, ſed reuera quoque magiſtratus fuerunt.

LXXXVIIII.

Etiamſi *Livius* VII. 6. 7. 8. & IX. 29. *Dictatore* creato nullum nominet *Magiſtrum equitum* non exiſtimandum tamen eſt, nullum tunc reapſe dictum fuiſſe Magiſtrum equitum.

LXXXX.

Quatuor *Praefectorum vrbi* genera ſedulo ſunt diſcernenda, quorum omnium vulgo iura & munera, neglecto temporum diſcrimine, vni male accommodari ſolent.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

LXXXXI.

Praefectus vrbi Latinarum ſacro minime Senatum cogere, multo minus cum populo agere potuiſſe videtur.

LXXXXII.

Non ſemper perinde eſt, quoquomodo dicatur, & ſcribatur, *Proconſul* & *Propraetor*, an *Proconſule* & *Propraetore*.

LXXXXIII.

Nec ideo ſemper *Proconſules* aut *Propraetores* nominari ſolebant, quod illos magiſtratus in vrbe gesſerant.

LXXXXIIII.

Praefectus vigilum omnino fuit magiſtratus, disſentiente Epitomatore *Pomponii* l. 2. §. 33. ff. *de Or. Iur.* ſed re & nomine novus, ſerua quippe ſub Caeſaribus civitate Romana.

LXXXXV.

Titulus *Semper Augusti* ore & formula theotiſca male redditur per *Alzeit Vermehrer des Reichs*.

LXXXXVI.

Divi titulus etiam vivis ſubinde Auguſtis tribuebatur.

LXXXXVII.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

LXXXXVII.

Apparitorum non ſingulare, ſed commune omnibus magiſtratuum miniſtris nomen fuit.

LXXXXVIII.

Mulieres apud Romanos nec libera, nec obnoxia Imperatoribus ciuitate maritorum gentes ſecutae ſunt.

LXXXXVIIII.

Comitia conſularia, quorum ſubinde *Tacitus*, *Plinius* minor, *Suetonius*, & alii poſt *Auguſti* & *Tiberii* tempora meminerunt, non de veris legitimisque accipi Comitiis debent.

C.

Anteſtatus non eſt is, qui alium aduocat teſtem, ſed qui ipſe vocatur.

CI.

Obtorto collo in ius rapere, nihil aliud eſſe videtur, niſi correpta & conſtricta togae ſummitate impeditum aliquem ducere, vt elabi non poſſit.

CII.

Nudos Senatores *togae praetextae* ius habuiſſe nego.

CIII.

Trabea togae, an chlamydis genus fuerit, in ambiguo eſt.

CIIII.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

CIIII.

Vanum eſt diſcrimen inter *conuiuia* Romanorum *tempeſtiua* & *intempeſtiua*, quaſi tempeſtiua fuerint diurna, intempeſtiua, nocturna.

CV.

Aeris ſignati ſive numorum origines a *Lydis*, an *Argiuis*, nominatim *Phidone*, Argiuo, *Phoenicibus*-ve repetendae ſint, nondum definiuerim.

CVI.

Numus non a *Numa* rege, ſed ἀπὸ τοῦ νόμου, vel ἀπὸ τοῦ νέμειν.

CVII.

Servius Tullius apud Romanos aeris ſignati auctor fuit.

CVIII.

Aes graue toto coelo diverſum eſt ab *aere rudi.*

CVIIII.

Promiſcuus ſubinde apud *Graecos*, *Romanos*ue humandorum & cremandorum cadaverum vſus fuit. Ideoque θάπτειν, & *ſepelire* de combuſtis etiam corporibus vſurpatur.

Digitized by Google

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

CX.

Phialarum, ſive vaſculorum lacrymalium, pariter atque *lucernarum perpetuo ardentium* maxima & inſulſa eſt vanitas.

CXI.

E verbis *Pauli*, Icti, l. 43. *π. de rei vindicatione* non ſequitur, vt ollaria nondum functa ideo religioſa ſint, quod religioſis adhaerent.

CXII.

Romanis titulos ſepulcrales ſcribentibus *Viatores* compellare licebat, noſtris moribus idem facere perridiculum eſt, niſi cippos, vel tabulas ἐπιταφίους, templorum hodie valuis plerumque occluſas, in vias publicas eduxeris.

CXIII.

Legitima Atticorum ſtipendia fuerunt quadraginta duo, aetatisque anno $\overline{LX}$.mo terminata.

CXIIII.

Caſſis Graecorum & galea Romanorum inter ſe differre videntur.

CXV.

Galea *M. Valerii*, coruo inſignis, fabulae de coruo, Galli hoſtis os oculosque roſtro & vnguibus appetente, locum dediſſe videtur.

CXVI.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE

CXVI.

In galeis Graecorum aliud eſſe τὸν φάλον, aliud τὸν λόφον dudum recte monuit *Lipſius* III. *de Milit. Dial.* V.

CXVII.

Si *Plinius* VII. *Hiſt. Nat.* 56. per *Syros* & *Phoenicas*, tanquam *catapultae* & *balliſtae* auctores, intellexit priuos illis regionibus incolas, nec eo nomine comprehendit *Judaeos*, haud dubie erravit.

CXVIII.

Junius Blaeſus, Imperatoris titulo, principe *Tiberio*, ornatus, ſecundum *Tacit.* III. *Ann.* 74. non omnium Romanorum e privatis, quibus id honoris obtigit, poſtremus fuiſſe videtur.

CXVIIII.

Ovatio & pedeſtris & equeſtris fuit.

CXX.

Spolia opima non primarius duntaxat Romanorum dux, ſed etiam ſecundarius capere poterat.

CXXI.

Στεφάνας, *Coronas*, cum in vetuſtis Graecorum & Romanorum libris, titulisue legimus, de nullo alio genere, niſi de variis *diadematum* formis cogitare nos oportet.

CXXII.

(IIII.) ANTIQVITATIS GRAECAE ET ROMANAE.

CXXII.

In veterum navibus aliud eſt proprie παράσημον, *inſigne*, aliud *tutela*, illud in prora, haec in puppi.

CXXIII.

Ineptiunt, qui *pyxidem nauticam* veteres ignoraſſe negant.

Cri-

QVAESTIONES LITERARIAE

(V.) QVAESTIONVM CRITICARVM ET MISCELLARVM SILVULA.

I.

Critice proprie eſt rerum omnium in facto poſitarum dialectica, in cuius regno magnarum multarumque artium, non ſolius verborum & ſyllabarum aucupii, vt vulgus exiſtimat, fundus eſt.

II.

Sane quod de Romanis dixit Iupiter Virgilianus:

His ego nec metas rerum, nec tempora pono
Imperium ſine fine dedi,

Id ampliſſimis *Critices* finibus iure accommodari poſſit.

III.

Toto coelo differunt γραμματισταί, & γραμματικοί.

IIII.

Quae vulgo traduntur *ſeptem artes liberales*, nec omnes ſunt veri nominis artes, nec eo comprehendi numero poſſunt.

V.

(V.) QVAESTIONVM CRITICARVM ET MISCELLARVM SILVULA.

V.

Quatuor ordinum, ſive vt hodiernus loquendi mos eſt, *Facultatum*, quales in omnibus ferme per Europam Academiis obtinent, deſcriptionem & gradus Saeculi poſt C. N. circiter XIII^mi^ ſapientiae, & pontificiorum inſtitutis debemus.

VI.

Eorumdem certe pontificiorum interfuit, Rhetores & Grammaticos, a quibus maxime ipſis metuendum erat, de primo gradu ſuo depelli, & in noviſſimum detrudi locum.

VII.

Humanitatis olim diſciplina continebatur Philoſophia.

VIII.

Non inconſulte *Jac. Facciolatus* ſingulari *ad Philoſophiam* oratione demonſtraverat, *nullam* tironibus *tradendam eſſe philoſophiam, niſi hiſtoricam.*

VIIII.

Methodum, quam vocant, *mathematicam* veteres omnino philoſophi tenuerunt, eaque non alieno loco, ſed vbi opus erat, vſi ſunt.

(V.) QVAESTIONVM CRITICARVM ET MISCELLARVM SILVULA.

X.

Verba *Ciceronis* in *Orator*. 3. quibus indicat ſe oratorem *non ex rhetorum officinis*, *ſed ex Academiae ſpatiis extitiſſe*, ad nullum aliud philoſophandi genus, quam ad *Socraticam*, *Platonicam*ue, aut ſimilem illius diſciplinae formulam trahi poſſunt.

XI.

Maxima inter libros, & monumenta numorum, gemmarum, marmorumue neceſſitudo eſſe debet.

XII.

Quam in cauſarum naturalium iudicio vim habet philoſophia ἐμπειρικὴ, eam in literarum antiquarum eruditione vtilitatem praeſtat *Archaeologia iconica*.

XIII.

Signa ſunt Deorum, *ſtatuae* hominum.

XIIII.

Aliud eſt *ſculpere*, aliud *ſcalpere*: illud protuberantis, hoc excavati operis modum ſignificat.

XV.

Sculptura, ſaxi & eboris, *caelatura*, cuiuscunque aeris eſt.

XVI.

(V.) QVAESTIONVM CRITICARVM ET MISCELLARVM SILVULA.

XVI.

Maxima in ſcribendo fingendoque virtus eſt *rotunditas*, hoc eſt aequabilis partium inter ſe conuenientia.

XVII.

In effingendis hodie Deorum Dearumue imaginibus priſcarum omnino Iconologiae legum ratio haberi debet.

XVIII.

Recte *Janus Broukhuſius* ad *Tibull.* II. El. III. 35. artifices noſtros peccati accuſat, *qui Bacchum fingunt & pingunt enormiter obeſum, ac pinguem.*

XVIIII.

Neque Aegyptiis, neque Phoenicibus, ſed Aſſyriis debetur literarum origo.

XX.

Graecis Latiniſque veteribus *quadrata* duntaxat literarum ſcriptura, non *minuſcula* recentioris aeui placuit.

XXI.

Iidem orationis interpungendae ſigna, κῶλα & κόμματα, in ſcribendo non vſurpaſſe videntur.

(V.) QVAESTIONVM CRITICARVM ET MISCELLARVM SILVULA.

XXII.

Per *centum quinquaginta paene millia verſuum*, quibus totum ſe opus Pandectarum abſolviſſe *Iuſtinianus* §. 1. Conſtitutionis II. *de Confirmatione Digeſtorum ad Senatum & omnes populos* ſcribit, non *Paragraphi*, quas vocant, vel Periodi, ſed proprio latinitatis ſenſu *verſus*, hoc eſt, lineae intelligi debent.

XXIII.

A Codice veteris & Novi Teſtamenti aeque minus, atque a ceteris humanae ſapientiae libris varietas lectionis abeſſe poterat. Quae tamen neutrius auctoritati officit.

XXIIII.

Sola illuſtrium Grammaticorum, quae ſubinde membranis additur, nominum ſubſcriptione codicis aetas haudquaquam ſubtiliter æſtimatur.

XXV.

Annales Pontificum maximi, libri lintei, libri magiſtratuum, Commentarii Pontificum, Faſti, quos *Dionyſius*, *Livius*, & alii ſubinde laudarunt, omnes inter ſe differunt.

XXVI.

Lapidum literatorum maior & copioſior eſt, quam *nummorum*, fructus.

XXVII.

(V.) QVAESTIONVM CRITICARVM ET MISCELLARVM SILVULA.

XXVII.

Actorum diurnorum fragmentum, quod *Pighius*, *Dodwellus*, & alii ediderunt, an totum ſit adulterinum, quaeri poteſt.

XXVIII.

SCti de *Veſpaſiano*, tabulam *Gruterianam* p. CCXLII. νοθείας poſtulare, nec opus eſt, nec licet.

XXVIIII.

T. Flavii Clementis titulum ab *Eduardo Vitryo*, Ieſuita, & aliis operoſius, quam neceſſe erat, illuſtratum, vt futilem abiicio mercem.

XXX.

Otio & literis abutuntur, qui in gripho Bononienſi *Aelia Laelia Criſpis* interpretando aliquid temporis operaeque conſumunt.

Digitized by Google

EMENDANDA

p. 9. n. LV. *lin.* 2. *portentoque* pro *portentoquae*
—— n. LVIII. *lin.* 2. verbis *Iſraëlitae* & *rivis* interpolanda haec ſunt: *vſque ad Kadeſi manſionem*
—— n. LVIIII. *lin.* 1. *Strabonis* pro *Stabonis*
p. 13. n. LXXXVI. *lin.* 1. inſerendus eſt locus: I. *Reg.* XV. 18.
—— n. LXXXVII. *lin.* 1. ſcribi debuerat *I. Reg.* pro *II. Reg.*
—— n. LXXXVIIII. *lin.* 1. verſus eſſe debet 25. non 23.
p. 14. n. XCIII. *lin.* 1. poſt verbum *reſtitutam*, inſerendum hoc erit: *auctore Iphito & Lycurgo*
p. 58. n. XV. *lin.* 10. *aliarumque* pro *aliorumque*
p. 61. n. VIIII. *lin.* 2. poſt *tanquam*, inſerendum: *Fr. Junii*,

VA1
1543003